

**www.e-rara.ch**

**Disputatio philosophica de existentia Dei, quatenus naturali lumine  
est demonstrabilis**

**Morlot, Albert**

**Tiguri, 1691**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-9576>

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
DE

EXISTENTIA  
DEL,

*Quatenus naturali lumine est demonstrabilis;*

QVAM,

Aspirante benignè Numinis aurâ,

PRÆSIDE

*Viro Celeberrimo, Clarissimo atque Doctissimo*

J. HENR. SVICERO,  
antehac in restituto Hanoviensium Lycéo Phi-  
losophiæ & Ling. Græcæ, nunc autem in illustri Tigurinorum  
Schola ejusdem Linguae Professore publico, Fautore suo &  
studiorum Promotore venerando,  
honorando:

*Publica subjectam disquisitioni pro virili tueri conabitur,*

ALBERTUS MORLOT, Helv. Bernas,  
Autor & Respondens.

*Ad d. Febr. Horâ 8, matutina.*

---

TIGURI,  
Typis JOHANNIS RODOLPHI SIMLERI.  
M DC XCI.



*Viris Amplissimis, Nobilissimis, ac Consultissimis,*

- DN. JOH. GEORGIO JM HDG/ Illustr. Bernatam Reipubl.  
Senatori gravissimo, Salis Directori, ac ditionis Germanicae  
appellationum Praesidi, Avunculo suo omnibus nomini-  
bus colendo, honorando.
- DN. DANIELI JM HDG/ Grandissonensi primùm, postea Lau-  
sannensi praefecturis, summâ cum laude defuncto, nunc su-  
premarum ditionis Gallicae appellationum Assessori, ut &  
Senatus Bellici Senatori, Avunculo suo sempiternum  
omni honoris genere suscipiundo.
- DN. BALTHASARI JM HDG/ Domino in Gerzensee, Prae-  
fecturâ Trachselvaldensi jam ante aliquot annos laudabili-  
ter defuncto, nunc autem Praefecto Viviacensi, & Guberna-  
tori munimenti Chillon, Tutori, Patrono & itidem Avun-  
culo suo ad aram amando, devenerando.
- DN. JOHANNI MORLOT, praefecturâ St. Johann-Insulanâ  
summa cum laude defuncto, Patruo suo perquam diligen-  
do, honorando.
- DN. DAVIDI MORLOT, Fratri suo in praefectura Sant-Joh. In-  
sulanâ succedenti, & recenter magno cum honore ab ea-  
dem recedenti, nunc autem orphanorum Tutori primario,  
Patruo suo ævum omni amore & obsequiò prosequendo.
- DN. SAMUELI JM HDG/ Comitatus Lenzburgici Expraefe-  
cto meritissimo, Avunculo suo perpetim amando, & omni  
honore afficiundo.



*Hæc tenues studiorum suorum primitias, in speciem ube-  
rioris messis, Dominis Avunculis & Patruis suis,  
devotò corde offert, dedicat Obseq. nepos*

Albertus Morlot, HBerna.  
Autor & Respond.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

EXISTENTIA DEI  
 THESIS I.

**E**Υ σοι τὸ μέλλον ἔξει, εἰ θεμέλιον εὖ ἔθης. *Bene tibi erit de futuro, si fundamentum bene posueris*, Hęc semel infractō etiam in scientiis & disciplinis non mirum est, quōd proferre insolenti buccā audias *nihil sciri*; imō, quod protervius, *nihil sciri posse*, quæ *Scepticorum & Academicorum* temeraria sententia est, quorum cuncta acia ingenia, cū *Dogmaticos* (uti vocant) de natura, tanquam re exploratā, effari ausos, naturæ arcana & rerum causas sibi perspectas & cognitās jactare audissent, commota & incitata, hęc ut penitiūs expenderent, ac judicii curiosioris trutinarent libellā, & an tantis promissis pares essent, atque cumulatiſsimè pollicita efficere possent, curiātorī examinarent *Ἀπυμελεία*. Et cū nonnulla non satis ad limam veritatis exacta, nec rigidam discussionem, aut severum perferre examen posse animadverterent, evolventes complicatas animi sui notiones, discessere in eam opinionem miserī, omnia si eōdem modō librentur, incerta deprehensum iri, hinc in palustri hęc hærētes illuvie ab impio *nihil sciri posse* effato obfirmatum animum revocare volebant.

Videtur quidem *Peripatericorum*, qui ignorantia nigrales caligines corrigere, & novā quasi lucē dispellere laudabiliter conati sunt, jactantia effrontibus his hominibus in stolidam sententiā prouendi occasionem suggestisse, utpote qui verā & rectā methodō neglectā, laudabiles conatus molli & infirmo fundamini superstruxerunt, hęc in parte non minūſ incuriā postulandi, quā qui superiores ædificiū contignationes concinnatiſsimō

disponentes ordine, an fundamentum benè se habeat nec ne, parum attendunt.

## II.

Inverecundis his jam dictis homuncionibus ora non validius teneri, nec friyolis eorundem ratiunculis, quibus, excusò omni pudore, cunctarum scientiarum certitudinem convellere, & magnò contendunt labefactare nisi, solidius occurri posse, cenſeo, quàm si *Deum existere* ipsis ostendatur; Quam ob causam non longè me aberraturum existimo, si pro tenuissimo & crassissimo ingenii modulo in praesenti hac exercitatione paucula quaedam differens de Deo illum existere commonstrem, volgare illud mecum reputans

*A Jove principium Musa, —*

*Ἀρχὴν ἀπ' αὐτῶν καὶ τέλος ποιεῖ Θεόν.* Solidum, ut spero, locaturus fundamentum, nulla nec vi, nec arte concutiendum, filum futurum, quò veritatem ex hoc Democriti puteo, Academicorum & Scepticorum labyrintho extrahamus, & eà repertà nos in tutum recipiamus.

## III.

Vixdum rei principium capeſſo, nondum glaciem scindere ordior, & en, his mihi videor auribus inclamantis haurire voces,

*Fac tua, quae tua sunt, quae functio, iusta requirit,*

Quid falcem in alienam messem immittere, sub philosophantis nomine Theologum agere non erubescis? Nunquid S. Scriptura non habet sat amplum Deum colendi principium, quid de Deo in philosophia tractare ad rem attinet? Tetricam de nobis sententiam ferre te deceret, crimenque reis intentare posses, quando Theologiam aspernaremur, aut Scripturae perfectionem negaremus. Interim vereri mihi videris, ne in pietate nimium proficias, credis de Deo nimis posse cogitari, illud quod *Optimum, perfectissimum* est, nimium tractari, quasi sciret nimis multae facies accendi possent ad contemplandum Supremi Entis pulchritudinem? Ergò cum secundum ipsos saniores Theologos duplex detur cognitio Dei, *naturalis* sive philosophica una, & altera *supernaturalis* sive Theologica, quarum haec ex *Scriptura*, illa ex *natura* lumine arcessenda, non amplius in

se-

sequiorem partem te rapturum spero, si in praesenti hac nostra  
disputatione Deum consideremus, quatenus *ex naturali lumine est  
cognoscibilis.*

IV.

Ut verò manus des & partes nostras assensibus tuis plene  
impleas, ponemus tibi ob oculos nonnullas cognitionis Dei  
naturalis, praeter illam cujus in II. Th. mentionem fecimus, utili-  
tates. Quid ex Scepticismo nisi *Atheismus* oritur? Quod contagio-  
sum malū etiam nostris temporibus non pepercisse videtur, sed  
illa tantò malignius afflāsse, quantò in religionem ipsam se in-  
finuavit periculosius. Unde enim tanta *Atheorum* & *Deistarum* tur-  
ba passim emerfit, & se mundo exhibet tam multiplex indiffe-  
rentium & nullò verbò se regi patientium grex, atque irriso-  
rum & Dei consilia in mundi hujus gubernatione diffaman-  
tium copiosa colluvies repente exiliit, & mentes à vero tramite  
deflexit, nisi ex Academiae & Scepticorum latebris & lacunis?  
Qui vel de Deo id negarunt, quod naturaliter de eo cognosci  
potest, τὸ γνωστὸν τῷ Θεῷ, vel ejus providentiam, ut Epicurus, id-  
que vel *directè*, qui eò impietatis prorumpentes ab humano ge-  
nere usque adeò degenerarunt, ut, nisi metus & periculum pro-  
hibeant, etiam oris professione apertè proditrā Deum esse ne-  
gent. Hi sanè nullam religionem persuaderi sibi patiuntur, nisi  
demonstratō hoc principiò, quòd *Deus existat*. Insuper *Athei* (quos  
vocant) *practici*, qui *interpretativè* Deum negant, quia ex aliquo,  
quod agunt & meditantur, ac omni molimine effectum dare  
volunt, certò liqucat, illos non credere Deum, quales sunt omnes  
impii, nefarii, scelerati, cupiditate & malitiā suā excoecati, qui li-  
cèt esse Deum dicant, & *speculativè* sana de Deo sentiant, spernunt  
interim iussū verenda Dei, & respuunt hęc animò, longèque re-  
mittunt, profligatā vitā suā operibusque & moribus ostenden-  
tes, Numen se nihili facere, ejusdèmq; timorem procul à se e-  
longāsse, de quibus Divus Apostolus ad *Timum* I. 16. Θεὸν ὁμολογῶσιν εἶ-  
δέναι, ποῖς δὲ ἐργαῖς ἀρνῶνται, qui habent, μὴ εἶναι θεοῦ βεβαίως coeterum vim  
ejus abnegantes, qui in corde suo dicunt, non est Deus. Talium *Atheorum* est  
magnus, pro pudor! ubiq; proventus: Quā viā hi faciliori ad  
frugem reduci poterunt, quàm si non solum ad contemplatio-  
nem rerū corporaerū, quæ quidem creatorem arguunt poten-

tissimum, opificem perfectissimum, relegentur, sed insuper ex  
consideratione *proprie mentis* (inde enim præcipua nostra depro-  
memus argumenta) convincantur & exclamare cogantur,

*Θεοὶ εἰσιν ἐν οἷδαμεν.*

Nonne Deum tunc magis venerabuntur, & tacito saltem  
colent murmure? Nullus namque restat excusationi locus,  
nullus palliandæ impietati prætextus. Magnam denique na-  
turalis Dei cognitio præstat utilitatem *omnibus humanis disciplinis*,  
quarum desideratur certitudo; constat enim non posse obti-  
neri ullius rei creatæ veram scientiam nisi perspectis causis, quâ  
verò ratione cognoscas causas nisi ad primam & supremam  
omnium causam, quæ Deus est, deveniatur? Adeoque opti-  
mam philosophandi viam sequimur, si ex ipsius Dei cognitio-  
ne rerum ab eo creatarum explicationem deducere conemur,  
ut ita scientiam perfectissimam, quæ est *effectuum per causas* ac-  
quiramus. Concludimus itaque *Philosophum nullum esse posse sine ve-  
ri Dei cognitione*, ut & *absque ea nullius unquam rei veram scientiam ha-  
beri posse.*

V.

His præmissis tanquàm *ἐν περιόδῳ* erimus in seqq. duobus  
præsertim ad existentiam Dei demonstrandam argumentis u-  
suri, quorum prius à *cogitationibus nostris* desumetur, posterius ab  
*ipsa mente his cogitationibus ornata*: Fors det alite dextrò frui, flerque  
velis aura secunda meis. Dum viscera mentis meæ scrutor,  
cogitationesque scitor meas

*Ac partes animum dum volvens versor in omnes*

Inter alias notiones, quibus mens foeta est, unam reperio  
animum sapiens pellentem, quæ eminet inter cæteras igno-  
liores & tantum alias inter caput effert

*Quantum lenta solent inter viburna Cupressi*

*micâtque inter omnes*

*Velut inter ignes luna minores,*

Quæ est cogitatio de *Ente perfectissimo, optimo, potentissimo*, quod  
Græci, si vocabuli originè, spectes, improprie *Θεὸν* vocant, *θεὸς*  
*τὸ θεῶν*, *τὸ τρέχω*, quia *ἀρχαῖοι ἤτι ἡλὶς καὶ σελήνης, καὶ ἀστέρων ἐδίθεσαν τὸ*  
*ὄνομα θεὸς τὸ αἰεὶ θεῖν καὶ κινεῖσθαι*, Latini à Græco *Deum*, Germani *Gott*  
*q. Gut/κατ' ἐξοχὴν Optimum*. Hanc cogitationem Philosophis vulgò  
nomine

*Idea* insignire placuit aliis *conceptus* appellare: Sed quia visionis oculi, objecta visibilia minimè comprehendentis actionem vulgò magis spiritualem & mentis actibus similiorem esse perhibent; etiam, quia, quod videtur *apprehendi* meliùs, quàm *comprehendi* dicitur, ideò visionem Dei mentalem sive intellectualem quam habemus in hac vita, potiùs à visu apprehendente *ideam*; quàm à tangente & comprehendente prolem in utero *conceptum* Dei appellandam æstimamus.

VI.

IDEÆ autem nomine intelligimus *cujuslibet cogitationis formam illam, per cujus immediatam perceptionem ipsius ejusdem cogitationis conscii sumus*; adeò ut nihil possimus verbis exprimere, intelligendo id quod dicimus, quin ex hoc ipso certum sit in nobis esse *ideam* ejus quod verbis illis significatur, adeò ut ad errorem hac in parte vitandum solùm observanda veniat, falsa illa notio, quæ huic voci affingi potest, cum ab aliquibus adhibetur ad eum tantùm concipiendi modum significandum *qui sit per conversionem mentis ad imagines in cerebro depictas*. Hòc positò non putem ullum inficias iturum, nisi qui studiò ineptire & datà operà fatuari amat, quemlibet hominum habere *ideam* Dei, si *ideæ* vox eò modò intelligatur, quò à nobis sumitur, nec, ut dictum, excusatio quæraratur in quorundam *homonymia*, qui eas ad imagines rerum materialium, quæ in phantasiâ formantur, restringunt: Neget aliquis Deum esse, ille tamen haud dubiè intelligit, quid sit Deus: dementia quippe meritò infimulandus esset, si negaret illud, quod quid esset ignoraret. Vel quæso annon intelligit, quid significant hæc, *res omnium, quæ cogitari potest, perfectissima*, & hoc ipsum est, quod apud omnes Dei nomine venit. Dicere autem inquit non nemo, *te non intelligere, quid significant voces omnium ore trita, est te, ut alienam oppugnes sententiam in miras angustias constringere*: Adde quòd hæc, ita pergit, *sit omnium quæ fingi potest maximè impia confessio, de te ipso dicere (eò sensu quò *ideæ* vocem accipimus) te Dei ideam nullam habere, hoc enim est non solùm profiteri, te illum naturali ratione non cognoscere, sed etiam te nec fide nec ullà alià vià quicquam de illo nosse, quia si nullam ideam Dei, i. e. nullam perceptionem habeas, quæ significatui hujus vocis Deus respondeat, quantumvis profitearis te credere Deum esse, istud perinde,*

perindè est ac si dicas te credere nihil esse, & ita in impietatis & ignorantia extremæ abyſſo demerſum jacere.

VII.

Et præterea unde quaſo generalis illa *anticipatio* feu *πρόληψις* esse Deum, nisi quòd in omnium animis Dei hanc notionem impresserit ipsa natura? Ut rectè Cicero, *qua est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum, quam appellat πρόληψιν Epicurus?* Cum enim non institutò aliquo aut more aut lege opinio sit constituta, maneatque ad unum omnium firma confessio, intelligi necesse est esse Deos, quoniam insitas eorum vel potius innatas cognitiones habemus, de quo autem omnium natura consentit id verum esse necesse est: Præclare meherclè, si quos ille Deos dicit, Deum verum & unū intelligas; idem alibi eleganter; *quòd de hominibus nulla gens est, nequè tam insueta, neq; tam ferrea, quæ non etiam si ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat: verè etiam Seneca Ep. CXVII. Veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri, tanquam Deos esse, quòd omnibus de Diis opinio insita est, nec ulla gens usquè ad eòd extramores legesq; posita, ut non aliquos Deos credat.* Itaque quemadmodum constat esse lucem, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, ita sanè constat esse Deum, quatenus omnes homines, pro ea, quam habent anticipationem, Deum agnoscunt & profitentur. Deniquè cum me ipsum lustro, observo in me multa imperfectionis indicia, infirmitatis, mutabilitatis notas, video me perpauca nosse, deprehendo me sapissimè labi, multa cupio, incassum ardeo scitari & rerum quaerere causas, agnosco me auras haurientem supremas fatalem parcarum legem fugere non posse, sum & mihi tamen non sufficio, ita enim omnia succederent ex nutu, omnes difficultates in veri scrutinio sine molestia superarem, abdita & curvis detenta latebris retegerem: Imperfectus ego sum & incompletus, has ego imperfectiones nullà ratione intelligerem, si non idea entis perfectioris, omniscij, beati, omnipotentis, aeterni & immortalis in me esset, ex cujus comparatione defectus meos agnoscerem.

VIII.

Videbimus nunc, quandoquidem verum sit nos habere cogitationem de Deo, quæ est, ut diximus *idea Entis summè potentis, infiniti, optimi* (id enim Deum vocamus) an ex idea illius entis, ejusdem

dem existentiam evincere valeamus, sive, an in idea illius entis contineatur necessaria existentia, & hæc est demonstratio à priori. Ens illud, cujus in nobis ideam habemus, est ens perfectissimum, infinitum, interminatum ex hypoth. Nunc verò secundum Nissenum, τὸ δὲ ἀόριστον ἀπείρον ταυτὸν ἐστὶ, ἀπείρον δὲ καὶ ἀόριστον πλεονασμὸν καὶ ἐλάττωσιν ἐνοεῖν τῆς ἐξ αὐτῆς ἀλογίας ἐστίν, Interminatum & infinitum idem sunt, at in infinito & interminato defectum aut imminutionem animo concipere extrema insipientia (argumentum) est: extremæ inquit stoliditatis est, defectum affingere infinito, quantum verò defectum infinito tribueres, si existentiam illud privares? Deus est ens quod actu omnes possidet perfectiones, & existere magna perfectio est, cur ergò ei illà denegabimus? Quò perfectius ens nec est, nec cogitari potest, illud etià actu existit, atqui perfectius ens Deò nec est, nec cogitari potest, ergò Deus actu existit. Major indubia est, quia major perfectio est τὸ actu existere quàm non existere; Minor patet ex idea Dei, nomine enim Dei intelligimus Ens undequaque perfectum, & quo perfectius nec est nec cogitari potest. Aliiter argumentor: Quod clarè & distinctè intelligimus ad alicujus rei naturam pertinere, illud cum veritate de illa re affirmari potest: atqui clarè & distinctè intelligimus existentiam ad Dei naturam pertinere; ergò existentia de Deo cum veritate potest affirmari. Major argumenti propositio est certissima & indubitata; nam sanè nunquàm de rei veritate certi esse possemus, si unquam accideret, ut aliquid, quod ita clarè & distinctè percipitur, falsum esset: Sola restat Minor, in qua, fateor cum Philosopho, difficultatem esse non exiguam. Primò quia sumus maximè assuefacti in reliquis omnibus existentiam ab essentia separare; Deindè ideas illas, quæ nobis res veras, immutabiles, constantes repræsentant, nunquàm satis distinguimus ab iis quæ à mente ad arbitrium effinguntur; satis quidem advertimus ad naturam Dei pertinere existentiam, quia nihil possumus concipere nisi sub ratione existentis: Sed mens excoecata præjudicatis opinionibus difficulter persuadetur ad credendum, ideam Dei nobis exhibere rem veram, immutabilem, constantem, hinc est quod nolit concludere Deum actu existere.

### IX.

Ut verò præjudiciorum horum turpe jugum auferamus

B

diffi-

difficultatēque has nobis eximamus observandum est. I. Existentiam duplicem esse, *possibilem & necessariam*. Equidem in omnium, quæ clarè intelliguntur, idea, continetur existencia, sed non nisi *possibilis*, quia reliquæ ipsarum proprietates non necessariò postulant, ut existencia cum iis conjuncta sit, adeoque non omninò sequitur illas existere, sed cum in idea *Dei* existencia *actualis* cum cæteris ipsius proprietatibus necessariò sociata est, consequitur planè *illum existere*. II. Benè notari debet *κατὰ τὴν ἀλήθειαν* quò idea verà à ficticia distinguitur. Omnes ideæ *ficticiae*, sunt ideæ mentis operà efformatæ & ad ejus arbitrium effectæ, quæque proin ab eadem pro lubitu variantur, quibus addere quid & demere ad beneplacitum potis est, in quibus animus

*Dirigit, edificat, mutat quadrata rotundis.*

E' contrariò ideæ, quæ naturas veras exhibent, mentem regunt, eidemquè imperitant, adeò ut cogatur quasi ad eas concipiendas ut sunt, nihil addere, demere nihil valet; sic idea trianguli est vera idea, quia mentem regit & determinat ut triangulum concipiat tanquàm figuram tres habentem angulos, tribus lineis comprehensam, nec pluribus aut paucioribus. Brevis earum cogitationum, quarum nos Domini & Autores sumus, ob innatam animi levitatem non eadè semper est facies, sed perpetua quædã animadvertitur inconstantia & varietas, quâ nunc majores & pleniores, nunc exiliores & macriores appareant. *Ad vertendum est* (inquit aliquis) *illas ideæ, quæ non continent veras & immutabiles naturas, sed tantùm ficticias & ab intellectu compositas, ab eodem intellectu non per abstractionem tantùm, sed per clarè & distinctè operationem dividi posse, adeò ut illa, quæ intellectus sic dividere non potest, procul dubio ab ipso non sint composita*: Talis idea vera est ea, quæ mihi exhibet *Ens optimum, perfectissimum*: quod indè patet, quia hæc de Deo *θεολογία* non modo diffusa est ubique terrarum, sed & ab omni ævo extitit, & porrò durabit, quamdiù extabit humanum genus. *Hominum commenta delet dies*, inquit facundissimus Cicero, *natura judicium confirmat*. Quid quòd maximè veritatis indicium est, sibi ipsi semper aliquid conforme apparere, non potest idem semper placere nisi rectum, huc pertinet dictum Senecæ th. VII. citatum. At quid hâc cogitatione de Deo magis conforme, magis consentiens? In qua quò quis se magis exercet, eò magis proficit

proficit & confirmatur, nulla cognitio mentem magis distendit & replet, aut maiore perfundit voluptate. Obvia ergò conclusio *Deum existere.*

X.

Sed si post validissimum hoc argumentum aliquis adhuc sit, qui manus dare recuset, ad stipulari & in sententiam nolit ire nostram, viam evadendi adhuc dum quærens, alia argumenta subjiciemus, quæ tanti quidem momenti esse videntur, ut os ipsi obstruere prorsus valeant, taliæque erunt, quæ omnes rationis præcipites impetus & turbulentos motus compescere debeant. Ideæ nostræ (ita argumentamur à posteriori) quatenus nobis res repræsentant, nihil aliud sunt quàm *imagines, rerum repræsentamina*, sunt *signa quæ nobis ponuntur pro rebus.* In omni verò signo (quod illustrationis ergò præmonemus) duo esse considerari possunt, signi nimirum esse *subjectivum & objectivum*, sive signi esse *proprium & vicarium*, v.g. in pictura quacunque duo veniunt consideranda, colores videlicet & lineamenta in genere varii-que ductus per se spectati in quibus picturæ illius esse *proprium, materiale & fundamentale* consistit, alterum verò consistit in *æthere relatione* ad suum relatum, in respectu quem imago habet ad suum exemplar, in artificiosa objecti repræsentatione, quæ ejus cluet imago, quæque pro in picturæ illius esse *vicarium & objectivum* facit; in primo esse plurimæ imagines convenire possunt; ex iisdem coloribus potest pingi & rana

*Quæ canit in limo veterem de more querelam.*

Et

*Astrorum decus ac nemorum Latonia custos.*

XI.

Applicabimus hæc ad nostras cogitationes, ceu ingeniosissimas mentis picturas, in iis hæc duo distinctissimè reperiemus. Secundum esse *proprium* ideæ nostræ nihil aliud sunt, quàm *quadam mentis nostræ operationes, modi quidam cogitandi, animi intelligentis actus*, & quidem in hoc esse non multum discrepant; Verum quoad esse *vicarium & objectivum*, ideæ loco objectorum ponuntur, ex quibus illa cognoscuntur, & ope quarum mens ea sibi objicit, sicque sunt *εμοιωματα των πραγμάτων repræsentamina rerum*, & ita ratione repræsentationis non minus differunt quàm ipsa obje-

Et, idea militis, quatenus est *cogitatio* non differt ab idea pastoris, sed quatenus hæc ideae *diversas res mihi exhibent* mirum quantum differant : nam

*Enumerat miles vulnera, Pastor oves.*

Adeoque illæ ideae, quæ substantias mihi exhibent, majus aliquid sunt, atque ut ita dicam, plus realitatis objectivæ continent, quàm illæ quæ tantum modos sive accidentia; & illa, per quam summum Deum, æternum, infinitum, omniscium, omnipotentem, rerum omnium, quæ sunt præter ipsum, creatorem intelligo, plus perfectio realitatis objectivæ in se habet, quàm illæ, per quas finitæ repræsentantur substantiæ.

## XII.

Cum verò nihil sit, de quo non liceat quærere unde sit, nullus effectus, cujus causam investigare non permittatur, causam, haud dubiè, etiam idearum nostrarum oculis animi lustrando indagare licitum erit. Pro duplici verò idearum esse, gemina etiam causa erit ostendenda. Et quidem quoad *esse suum materiale*, quatenus sunt cogitandi quædam formæ, simplices animi actus, modi ex mente pullulantes & surgentes, non aliam præter *animum*, cujus effecta sunt, causam exigunt. Sed quoad *esse objectivum*, quatenus sunt repræsentamina, *imagines* εἰκῶνες dependent ab exemplari; nam *ὡς καὶ ὁμοίωμα τὸν τῆ πρᾶγματος φῶσιν εἰσὶν ἰσχύον* ut Phavorinus habet. Quicquid verò perfectioris est in opere, illud quoque & in causa efficiente; quicquid sanè in discipulo eruditionis, illud est à Præceptore : *nemo dat quod non habet*, effectus non accipit à causa quod in ipsa non est, & hoc non solum verum est de realitate *actuali & naturali*, sed etiam de objectiva : Itaque in ideis nostris etiam nihil esse potest *objectivè*, quod non *formaliter* vel *eminenter* sit in aliqua earum causa. Objicis, realitas *objectiva* nihil est rei, est extrinseca solum denominatio, nihil verò non causatur. Amens, num inficiaberis, nihil sive non ens non efficere posse ullam differentiam, *Nihili enim nulla sunt accidentia*. Si verò realitas objectiva in nostris ideis nihil esset, non video certè, quâ ratione cogitationum nostrarum aliæ sublimes & arduæ, viles & tenues aliæ, nunc Divinæ, nunc diabolicæ esse possent; qui de *Mida* nihil quicquam ab *Iro* diversum cogitaret; non esset perfectior cogitatio de Rege potentissimo &

& pulvisculo terræ, nullum esset discrimen inter cogitationem de homine ad formositatem insignissimo, & homine

*Quem notat informis pallida membra color.*

### XIII.

Ex quibus luce meridianâ clariùs apparet, realitatem objectivam in nostris ideis esse omninò aliquid, postulabit ergò causam, est *effectus*: sed lumine naturali manifestum est, tantundem ad minimum esse debere in causa efficiente & totali, (uti jam in præced. th. indigitavimus) quantum est in ejusdem causa effectu: Nemo enim dat quod non habet; Et à nihilo nihil fit; nec etiam id quod magis perfectum est, h. e. quod plus realitatis in se continet, ab eo, quod minus, hoc enim si contingeret, etiam prius fieret. Necessarium itaque omninò est, ut omne id, quod habet idea, procedat & derivetur ab exemplari, illius causa; ita argumentatur Cl. Clauberg in aureo libello de cognitione Dei & nostri Exerc. VIII. 18. *Cujus totum esse in imitatione consistit, id non potest plus continere quam est in imitabili, sive exemplari, atqui conceptus sive idea totum esse in imitatione consistit, Ergo.* Quòd, inquam, hæc idea realitatem hanc vel illam contineat potius, quàm aliam, hoc profectò habere debet ab aliqua causa, in qua tantundem sit ad minimum realitatis formalis, quantum ipsa continet *objectiva.*

### XIV.

Ut verò coeptam telam pertexere pergamus, generaliter de omnibus ideis prolata in præcedd. ad nobilissimam illam Entis summè perfecti transferamus. Eadem planè hujus ideæ, quæ cæterarum, ratio; quoad esse proprium, non minùs à mente est, quàm reliquæ omnes, sed undè quoad esse suum representativum? Haud dubiè ab exemplari, in quo tantundem fiet perfectionis, vel formaliter, vel eminenter, quantum in ipsa idea est objectivè. Sed quodnam illud exemplar? Non ego, nam illa idea mihi repræsentat substantiam infinitam, independentem, summè intelligentem, summè potentem, quæ sanè omnia tanta sunt, ut, quò diligentius attendo, hoc minùs à me solo profecta esse videantur: Equidem verum est, ut formare possim ideam substantia, non postulatur alia causa à me diversa, non tamen idcirco erit idea substantiæ infinitæ, sum enim ego finitus. Sed fortè illa idea est ex traditione & rerum corporearum observatione? Non est dubium quin traditio & rerum

observatio, quæ fit per auditum & visum, sensus, qui propriè huc pertinent, sæpè sit causa *remota* nos invitans & occasionem ministrans, ut ad ideam, quam habere possumus de Deo, attendamus, illamque cogitationi præsentem exhibeamus, ut verò sit causa *proxima & primaria* illius ideæ effectrix, à nemine dici potest, nisi qui putat, nihil à nobis unquam de Deo intelligi, nisi auditò hòc nomine *Deus*, vel visâ figurâ corporeâ, quæ nobis ad repræsentandum Deum à pictoribus exhibetur.

XV.

Obtendis, forsitan ideam Dei non repræsentare positivum quid, ergò non postulare causam: nam ut fermocinatur Scheiblerus in *Metaphys.* quem citat *Cel. Claub.* in libro supralaudato, *negationes & alia entia rationis, non sunt intelligibilia per se, sed per accidens & juxta positionem ad entia positiva & realia, conceptus ergò isti non convenient negationibus per se, sed per accidens, & gratiâ entium positivorum & realium*; inde inferes, nos ex consideratione finiti pervenire ad ideam infiniti, nos intelligere infinitum contemplando propriam nostram finitudinem. Non abnuo, vocabula plurima, quibus attributa Dei exprimi solent, esse negativa, non tamen inde sequitur ideas illorum etiam esse negativas; Infinitum, fateor, est negatio finium, sed finis dicit negationem, scilicet *non ultra*, ergò infinitum, quod finis negationem continet, positivum sensum habet. Animadvertis n. infinitum esse affirmationem sempiternitatis, positionem omnimodæ perfectionis, assercionem durationis, quæ usque & usque manet. Adeòq; quamvis fortè fingi posset, tale ens non existere, non tamen fingi potest, ejus ideam nihil reale repræsentare, cum, quod mihi per eam exhibetur, sit realissimū, & causa omnis entitatis, imo quicquid clarè & distinctè concipitur, quod est reale, verum & perfectionem aliquam importans, totum in ea continetur. Nec etiam illa idea est *materialiter falsa*, quia dici non potest, illam referri ad aliquid, cui non sit conformis. Est interim cur pudore suffundaris, quòd, suprâ vulgus sapere cupiens, hæreas in modis loquendi, quos inscius popellus, ignara plebs introduxit. atque iis te patiaris impediri in veritatis indagine, quin concludas *Deum existere.*

XVI.

## XVI.

Nobilissimus hic est Dei existentiam demonstrandi modus, non longè arcessitus, sed ex ipsâ naturâ mentis depromptus, (hæc enim priùs & evidentiùs ullo corpore cognoscitur,) quâ Deus velut palpando invenitur in ipsâ mente, per ideam, quam ipse expressit, quæ est velut *nota* summi illius Artificis operi insculpta suo, ad quam respiciens homo protinùs monetur, ut de summo illo ente & perfectissima natura cogitet. Est hæc *καὶνὴ ἐννοία* menti à natura indita, & ut Ciceronis verba in meos usus convertam, *non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus*; adeoque ideam hanc esse ex numero *innatarum* asseveramus. Tres autem statuimus idearum species, unam *adventitiarum*, alteram *fictitiarum*, tertiam *innatarum*. *Adventitias* vocamus, quæ in animo non priùs exsurgunt, quàm ad has cogitationes à corpore aliquo à se diverso excitetur & quasi stimuletur; sic verò appellantur, non quòd ab ipsis objectis externis nos moventibus, aut per ipsum motum in corpore nostro excitatum, ideæ illæ nobis immitantur, sed quia objecta externa, & motus membrorum corporis nostri animo intimè juncti quædam causæ illarum idearum *πεποιτισμένην* sint, citantes & excitantes mentem ad talem cogitationem. Idea Dei ad harum classẽm non pertinet, non enim illam sensibus hausi, nec unquàm mihi non expectanti advenit, ut solent rerum sensibilem ideæ, cum istæ res externis sensuum organis occurrunt; multò adhuc minùs referenda est idea Dei in numerum *fictitiarum*, quia multis modis intelligo, illam non esse quid fictitium à cogitatione mea dependens, sed imaginem veræ & immutabilis naturæ; ut, *primo*, quia nulla alia res potest à me excogitari, ad cujus essentiam existentia pertineat præter solum Deum; *Deinde* quia non possum duos aut plures ejusmodi Deos intelligere; & quia positò quòd jam unus existat, planè videam esse necessarium ut & ante ab æterno extiterit & in æternum sit mansurus; ac *denique* quòd multa alia in Deo percipiam, quorum nihil à me detrahi potest nec mutari, uti in Th. IX. abundè probatum dedimus. Ac proindè superest, ut mihi sit *innata*, quemadmodum etiam mihi innata est idea mei ipsius;

mens

mens enim illam ex se ipsa in se volendo format, & ex propria penu, non excitata à substantia corporea à mente diverſa, elicere valet; *innata* autem vocatur, non quòd animo ſemper præſens ſit, ſed ideò quòd mens noſtra habeat naturalem facultatem eà ex ſe ſola promendi, nec ad eam ſibi imprimendam objecti extranei concurrentis ope indigeat: Sic quibusdam familiis certi morbi innati dicuntur, non quòd ſemper his vexentur morbis, ſed quia cum magna naſcuntur diſpoſitione ad morbos illos contrahendos.

### XVII.

Magna etiam eſt, in hac demonſtrandi ratione per ideam Dei, prærogativa. Per eam enim non ſolum *quòd ſit*, ſed ſimul etiam *quiſnam ſit*, quantum naturæ noſtræ fert infirmitas, agnoſcimus: *clara* quippe eſt & valde *diſtincta* hæc Dei idea, talis quâ clarior vix ulla datur, Quò vero rei habemus clariorem perceptionem, eò meliùs nobis eſt cognita. Imò non ſolum hæc ratio valida eſt & firma, ſed inſuper ſuavi & efficaci quodam illapſu in animum eum trahit ad aſſentiendum, facit ut non acquieſcat in ſe, ſed in illo ente, quod illà mihi objicitur ideà. Si verò non exiſteret illud ens, cujus ideam habeo, cur non potiùs in me, qui ſum res verè exiſtens, quàm infigmento, quale eſt id quod non exiſtit, ac quieſcerem.

### XVIII.

Facilè prævideo te ex præced. th. anſam arrepturum obijciendi; ſi Dei idea, ut dixiſti, eſt *clara & diſtincta*, quid fiet de verbis Nazianzeni *ὅλον τι πέλαγος & εἰς αἰπειρον, ὑπερεκπῆστον ἐννοια καὶ χρόνος καὶ φύσις* eſt Deus mare eſſentia infinitum exſuperans cogitationem & temporis & natura; eſt pelagus omnium perfectionum, dicit Damascenus; quomodò ergò tantam immenſitatem arctiſſimâ noſtrâ mente clarè & diſtinctè conciperemus? R. Rem ex attributis cognoſcimus, quòd plura verò de re attributa mihi ſunt cognita, eò clariùs & diſtinctiùs rem illam novi. Nunc fanè nullum ens ſub cogitationem noſtram cadit, cujus plura & nobiliora attributa percipiamus, quàm Dei, dum enim ſumè perfectum intelligimus, omnes perfectiones perceptibiles ei tribuimus, & quidem ita, ut *omnino* omnis à Deo removeri intelligatur imperfectio: *deinde* ut Deum vel cognoſcam eſſe *talē*,  
nim.

nim. intelligentem, volentem, potentem, vel agnoscam esse tantum ut propter exuperantium perfectionum suarum magnitudinem minorum vicem supplere valeat.

XIX.

Concedamus, (objectantem audio) nos habere, ideam Dei *claram & distinctam*, sed quid inde? Noſte ſequitur nos Deum comprehendere, & omnia illius ex haurire debere attributa? Verum magnum, ſciat velim, eſſe diſcrimen inter *cognitionem claram & diſtinctam*, intellectione modulo ingenii noſtri conformem & *cognitionem comprehenſivam*, ſive conceptum reru *adaquatum*: illam de pluribus rebus habere poſſumus, hanc vero non modo de Deo non, ſed nec de ullis aliis ut ut puſillis & quantum vis exiguis rebus nos habere aſſerimus. Si enim Deus comprehendere poſſet, non eſſet infinitus: plane enim repugnat, ſi quid comprehendam, ut id, quod comprehendo ſit infinitum. Infiniti n. idea ut ſit vera, nullò modo, debet comprehendere quoniam ipſa incomprehenſibilitas in ratione formali *re* infiniti continetur; & nihilominus manifeſtum eſt, ideam, quam habemus, infiniti, non repræſentare tantum aliquam ejus partem, ſed revera, totum infinitum, eò modo, quò debet repræſentari per humanam ideam, etſi procul dubio alia longè perfectior, h. e. accuratior & diſtinctior, habeatur à Deo, aliave naturâ intelligente, quæ humanâ perfectior haberi poſſit. Eadem ratione, quâ non dubitamus, quin Geometriæ imperitus totius trianguli ideam habeat, cum figurâ eſſe tribus lineis comprehenſam intelligit, etſi à Geometra alia multa de eodem triangulo cognosci poſſunt, atque in ejus idea animadverti, quæ ab illo ignorantur: ut enim ſufficit, intelligere figuram tribus lineis contentam, ad habendam ideam totius trianguli, ſic quoque ſufficit intelligere rem nullis limitibus comprehenſam, ut vera & integra idea totius infiniti habeatur; Adeoque Deus verè, clarè & diſtinctè intelligitur, eſt interim ejus eſſentia *incomprehenſibilis*. *Certe*, inquit Doctiſs. Poirer Cogit. rational. Libr. III. Cap. VI. II. ſiquidem comprehendere ſit *adaquatè omnia mente complecti*, aut Deus eſſet cogitatio imperfecta, ſi à me cogitatione imperfectâ, ſic caperetur; aut ego eſſem cogitatio mera, ſi illam, vel unum ex illis, quæ in eo ſunt, in quo omnia unum ſunt, comprehenderem, atq; ita eſt ego eſſem Deus; ille vero, ſiquidem à me, qui

tunc cogitatio mera effem, ut diversus comprehenderetur, tanquam finitus conciperetur, nam nihil à cogitatione mera, qua infinita est, diversum est, quin finitum fit. Hinc non ex ignorantia, sed sapientissimè Philosophus ille, qui à Principe suo rogatus erat, ut ipsi, quid Deus esset, explicaret, differens continuò responsa de die in diem, tandem diuturnæ suæ dilationis rationem reddens, inquebat, se, quò magis in hoc inquireret, eò se minùs posse illud cognoscere, viderique sibi rem eò magis arduam & difficiliorem. Mira sanè hæc Dei notitia. Est omnium facilima, maximè clara & obvia; est & eadem, quò faciliùs penetratur, patet & clara fit, eò difficiior, obscurior & reconditior.

XX.

Haftenùs ex idea Dei argumenta illius existentiam irrefragabiliter evincencia depromimus, nunc de eo videbimus quod peritur ex consideratione nostræ existentia, ubi nos adeò imbecilles deprehendemus, ut ne momento quidem subsistere queamus, nisi à Deo servemur & sustentemur continuò. Heic itaque maximè respiciemus imperfectionem mentis nostræ, ut in superiori argumento ex adverso ejusdem mentis nostræ spectabatur perfectio, nempe quòd id eam Dei in se habeat. Cùm in nobis advertamus vitam, intellectum, voluntatem, inquiremus meritò undè hæc omnia habeamus, an à nobis, an ab alio? Neque enim semper fuimus, ut nunc sumus, neque ex eo quòd antea fuerimus, sequitur nos nunc debere esse, quòd durationis naturam intuenti, quæ est fluxa, cujus partes non sunt indivulsæ, cujus præsens non pendet à præterico, nec futurum à præsentem, liquidum est adeò, ut certò concludere possit, non se, si heri fuit, etiam hodiè esse debere, nec si hodiè est, eras futurum; oportere ergò necessariò esse aliquam causam (quæcunque illa sit) quæ illum continuò in esse ponat, & singulis momentis rursus creet, hoc est conservet. Nam si existentia mea semel posita non est causa sibi suæ durationis, seu ut porrò ponatur, tùm illa causa est aliunde arcessenda, siquidem porrò existam, ut animadverto. Sed illa causa nulla alia est, nisi illa ipsa à quo sum factus; Non certè ego ipse me feci, si enim id esset nihil obfuturum fuisse video quò minùs mihi vitam in aeternum producere valerem, & omnes illas perfectiones largiri, quarum in me defectum per-

perferentisco. Si à me essem, nec dubitarem, nec optarem, nec omnino quicquam mihi deesset, omnes enim perfectiones, quarum idea aliqua in me est, mihi dedissem, atque ita ipsemet Deus essem: nec putare debeo, illa fortè quæ mihi desunt difficiliùs acquiri posse, quàm illa quæ jam in me sunt. Nam contrà manifestum est longè difficiliùs fuisse me ex nihilo emergere, quàm multarum rerum, quas ignoro, cognitiones, quæ tantùm sunt illius substantiæ accidentia, indipisci. Ac certè si majus illud à me haberem, non mihi illa saltem, quæ faciliùs haberi possunt, denegàssem, sed neque etiam ulla alia ex iis, quæ in idea Dei contineri percipio. Insuper si anima nostra habet vim se ipsam conservandi, tum illam vim agnosceret, seu esset sibi conscia illius facultatis, dum eam exerceret: animâ quippe non habente ullam vim cujus non sit conscia dum eam exercet, quòd anima sit res cogitans, *h. est talis quæ omnium actuum suorum sibi intimè conscia est.* Atque adeò quia nullam hujusmodi vim experimur, ex hoc ipso evidentissimè cognoscimus, nos ab aliquo Ente à nobis diverso pendere. Si nequidem cogitationes nostras, possumus conservare, multa enim cogitamus, quæ tamen postea ex memoria elabuntur, quantumlibet impensè desideremus eorum reminisci, ergò multò minùs nos ipsos conservare poterimus.

### XXI.

Sed fortè illud ens à quo sum non est Deus, sed sum ab aliis causis Deo minùs potentibus. Ab aliis hominibus ejusdem mecum fortis conservari me vix credibile est. Cur enim aliis tanta præme prærogativa, cur alii adeò potentes, ego impotens, ut aliorum animas conservare possint, & mea nequidem se ipsam possit? *Homo sum, humani à me nihil alienum puto.* Propius accedo, sum à parentibus, quorum ope lucem hanc conspiciari datum est. Ab iis corporea quædam habere me novi, sed non illi sunt qui animam mihi dedere, non me illi, quatenùs sum res cogitans, effecerunt; sed tantum dispositiones quasdam in ea materia posuerunt, cui mentem inesse judico. Clarum n. est tantundem ad minimum esse debere in causa, quantum est in effectu, (ut toties inculcata reiterem.) Sed in me reperio ideam entis perfectissimi, optimi, ergò in parentibus, à quibus dicor esse, debet esse earundem perfectionum idea. Si hoc, inquirere

ulteriùs libet num & hi sint à se, num ab alio ; si à se, est undè nobis ceu τέκνους τῶν Θεῶν gratulemur de Parentibus Diis, nihilque restabit quin Deorum eos veneremur nomine, tergeminis colamus honoribus, adoremus, laudemus. Si enim sibi ad existentiam conferendam sufficiunt, quidni & omnibus perfectionibus, quarum ornari idea, se locupletassent ; hæ enim illâ longè faciliùs haberi queunt, ut prolixius in th. XVII. ostensum ; sin ab aliis, eodem modo procedit argumentum.

### XXII.

Nec harum rationum vim effugio, si supponam me fortè semper fuisse ut nunc sum ; nam consideranti durationis naturam quam descripsimus aph. XVII. clarum fiet eadem planè vi & actione opus esse ad rem quamlibet singulis momentis, quibus durat, conservandam, quâ opus esset ad eandem de novo creandam si non existeret: *Conservatio enim & creatio non res, sed considerandi modo solum distinguuntur.* Quin ergò concludimus illud ens, quod nos singulis momentis conservat Deum esse : si enim me conservat longè majori potentiâ & perfectione pollebit : quod indè liquet quia illud ens me conservat, tali verò facultate me sentio destitutum. Quia autem illud ens aliud à se diversum pote est conservare, multò magis se ipsum : nonne enim *major est difficultas aliud à se realiter distinctum in esse ponere, conservare, perennare facere, quàm se ipsum ; si autem illud ens à quo servor se ipsum multò magis conservare potest, à se erit ; si à se est, Deus est,* cum enim à se sit, habet & actu possidet omnes perfectiones ; quod enim non eget causa ut sit, ut *essentiam actu habeat,* id neque eget causa ut reliquas perfectiones possideat, ut sæpè diximus, faciliùs enim hæ comparantur illâ ipsâ substantiali existentia. Illud à quo dependeo in existentia necessariò, est ens independens, quoniam omne ens dependens eò temporis momentò, quo dependet, nullam ex se existentiam possidet, undè nec ullam alteri potest largiri.

### XXIII.

Breviter si non est Deus, quomodò omnes mortales in hanc amentiam conspirare potuerunt, ut tam constantes affirmarent esse Deum ? Nam sanè si isti conceptui nihil verum & reale

reale subest, amentia potius universalis hæc dici meretur & <sup>αἰ</sup>  
<sup>νοια</sup>, quam <sup>ῥῆς</sup> vel <sup>δαιμόνια</sup>: Et dicendum solos Atheos <sup>ἀπίθοοι</sup>,  
delirare omnes coeteros. Et quid dicemus, si nihil sit, quod verè  
amare aut timere possumus, unde est quòd diri mens conscia  
facti nos habeat attonitos, & furdò verbere cædat: unde est  
illud

*Occultum quatiens animos terrore flagellum?  
Laxos sceleri permittentes habenas,  
Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent;  
Cum tonat, exanimis primò quoque murmure Cæli.*

Imò, (quod notari meretur) maximè impia & profliga-  
tissimæ vitæ homines, cùm signa quædam iræ divinæ se pro-  
dunt, iisque excita conscientia evigilat, metu Numinis exter-  
nantur, terrore concidunt, &

*Turbatum trepidat pavidâ formidine pectus.*

Atque ita velint nolint, quod nescire cupiunt subindè sen-  
tiunt. Cujus rei vivum exemplum habemus in *Cajo Caligula* a-  
pud Sueton. impio, scelerato, nefario & effræni illo Numinis  
contemptore, qui, quoties aliquod iudicium iræ Divinæ se pro-  
ferebat, mox latebras quærebat, & quasi jam periturus exani-  
mabatur & trepidabat: ex quo liquido patet se Deum, quem da-  
tâ operâ contemnere studebat, etiam invitum exhorruisse. *Esse*  
*igitur naturaliter ingentam & penitus insitam in ipsis quasi medullis omnibus*  
*hanc persuasionem esse aliquem Deum locupletissimus testis est vel ipsa impio-*  
*rum contumacia, qui furiosè luctando, se tamen extricare è Dei metu nequeunt*  
inquit Doctissimus Heidanus. An ergò dicemus conscientiam  
cogitationibus se mutuo accusantibus aut excusantibus muni-  
tam & justî ac injusti notitiâ imbutam, sibi tantum ex se, nullâ  
de causâ hos eiere tumultus, & hanc creare inquietudinem?  
Nulla sanè res est tam palpabilis & tam crassa super quam ho-  
mines non maximè desiderant, & de qua non hos inter aspera  
rîxa exurgat. De Deo nulla jurgia, non adeò discordes. Certè  
si non hunc sui characterem mentibus hominum indidit Deus  
ipse & insinuavit, plus quàm mirum est totam hominum uni-  
versitatem ex se ipsa, aliquem Deum esse, conspirare potuisse.  
Nulla gens (ut jam diximus) quæ non Deos aliquos agnoscat.

Hoc ita extra omnem dubitationis aleam est positum, ut maluerint gentes coram serpentibus, muribus, crocodilis, vitulis, ligno & lapide procumbere, quam videri velle esse absque Deo: Adeo vehemens fuit ista impressio, ut facilius fuerit naturæ affectum frangi, quemadmodum certè frangitur, dum homo ex illa naturali superbia ad infima quæque se demittit sponte, quò Deum aliquem profiteatur.

XXIV.

Unicum addo, quod mirificè placet argumentum quorundam Doctissimorum Virorum, Quòd, si non sit ens aliquod æternum, quò nullum potuit esse antè, tunc nihil fuerit possibile: Non æternum ex hypoth. Nam si non fuit esse non potuit. Non temporale, quia, cum hoc aliquando fuerit non ens, ut sit, debuerit transire à non esse ad esse. Quod fieri nequit, omni Ente æterno sublatò. Etenim quod non est, non potest se ipsum producere: à nihilo enim nihil fit. Quod si non ens aliquod æternum sit, necessariò sub non esse omnia manere necesse est. Ergò si Deus non est, nihil esse potest unquam, adeoque nihil est possibile. Omnis enim perfectio possibilis debet in aliquo habere necessitatem essendi; nam si hanc non haberet vel in se, vel in alio, hoc ipso esset impossibilis, non enim sibiimet existentiam dare posset, nec ab alio quoquam accipere. Quid, quod si non fuit ens aliquod ab æterno, necessariò sequatur, aut nihil esse, (quod nemo sobrius dicat:) aut fuisse infinita æterna. Si enim nullum æternum fuit à se, ergò quòlibet est ab alio; ergò nullum primum: Ergò sine fine æterna causantia & causata; ergò multitudine infinita entia æterna & necessaria ergò & de facto & jam nunc existentia & in æternum duratura.

XXV.

Hæc si te non moveant ad credendum Deum existere, monstrorum catalogo intexi mereris, nec dignus quem humus portet utpote inutile terræ pondus, ab omni humanitate usque adeo desciscens ut omnis in te natura obbruterit. O nunquam  
fatis

fatis deflendam tuam miseriam! Ego interim fulgidum illud  
& corruscum omnis realitatis Lumen præconiis humillimis  
efferens, & celebrans, fateri cogor meam imbecillitatem: est *ide-*  
*veia* & idem mihi in contemplandis eius perfectionibus, facere  
video quod vermiculus qui latissima æquoris vada ebibere, aut  
minimula manus quæ unico complexu

*Nubiferos montes, & saxa minantia Cælo  
tenere conatur*

Nunquàm sanè obrutum arctissimæ mentis in roseum,  
purpureum, & aureum purissimæ puritatis Solem desigendo  
animum satiare possum, quò plura me videre puto, eò plura mi-  
hi ignota deprehendo. Subscribo (ut finiam) cujusdam viri  
à Deo docti testimonio, qui cum prius in Veritatibus Divinis  
detegendis magis magisque proficeret, putabat se ferè ad fi-  
nem pervenisse. At cum Deus immediatè ipsum suâ luce ince-  
pisset illustrare, tunc agnoscebat se vixdum habuisse initia; ideò  
que indè laudabat divinarum luminum abundantiam ita in-  
comprehensibilem, ut cum quis ad plenam eorum communi-  
cationem, & terminatam possessionem se verè pervenisse  
suspiciatur, vix minima eorum possideat  
initia.

LAUS DEO.  
FINIS.





## Corollaria.

1. *Aut Deus est, aut nihil est, nec quicquam unquam esse potest.*
2. *Nemo verò nisi animum exsecrare velit, dicere vel cogitare ausit, nihil esse, vel esse posse.*
3. *Quapropter stulta est cogitatio, Non esse Deum. Psal XIV: 1.*
4. *Imò, nemo ad rationis dictamen attendens, dubitare potest Deum esse.*
5. *Quòd si autem Deus sit, à se solus est; cetera quæ sunt, ab ipso sunt, secundum omne quod sunt, essentiam aequè ac existentiam.*
6. *Itaque non determinatus est Deus ullo modo in productione rerum ab aliquo à sua voluntate independente, quod æternum in se sit (prout Essentias rerum æternas, decretum antecedentes, esse Scholastici dicunt) sed ipse suâ voluntate liberimâ omnibus essentiam, existentiam, modum, &c. posuit.*
7. *Quæ verò Deus talia esse voluit, qualia postmodum eadem voluntate facta sunt, illa deinceps factorum lege non alia esse, adeoque suo sensu æterna dici possunt.*
8. *Hinc est quòd nos essentias rerum non aliter concipere possimus, quàm quales sunt, v. gr. materiæ ut extense, Spiritûs ut cogitantis; & quòd contradictio in conceptu surgat simulac illa cogitando mutantur.*
9. *Id quod scientiæ fundamentum est, quam evidentia & idearum claritas ab opinione distinguit.*
10. *Quæ verò quis scit, in iis non errat vel fallitur; quum scire & errare sint pugnancia.*
11. *Et hinc conscientiæ dictatus oraculi instar consulere licet, imò in omni seria inquisitione oportet, omni seductionis metu profligato.*
12. *De quo si homines magis essent solliciti, non tot errorum figuræ mentibus illuderent, conspicuo defectiois à prima perfectione argumento.*



Ad Politissimum Dom. RESPONDENTEM, pererudi-  
tum defecatarum THESIUM Fabrum

# תשורת הז

1.

ایہم اہل المرده الی اللوایس  
من لا یرفع نجم اعدیوہ الباصیر  
وکر یعہم قلبہ جمع الی الکتیر  
بالسّموات وبالارض جهل یصیر  
الادق کله والعجبه الجہین  
وان الله عظیم لهم العاطیر  
وعلی الاسرار المطلع الکتیر  
ما صاحبی بعلمک ناحیما تسیر \*

Ευολας τέχμαρ ἔθηκε συνοδία

Joh. Henr. Hottingerus F. Lingg. ORR.  
in utroque Collegio Prof.

D

II.

# אלברכט מרלות

בחלוף אותיות

ברבים חרוזים

לא רבים גנוזים

## ברכת טל אל רם

מי הוא רוקע את המקום

צפון מורה ים ודרום

חית שדה ואת צבא הים

ועושה ברכת טל אל רם:

שא עיניך אל המרום

שגבורתו הכל תחתום

כורא ארץ עם האדם

זה מורה לך כי יהרה בם

*Praeclarâ virtute, insigni Eruditione Conspicuo Domino  
Respondenti*

*In ἀειφιλίας τεκμήριον hac apponere  
voluit, debuit*

Joh. Georg Hurter, Scaf-Hely.

III.

# ΠΡΟΣΦΩΝΗΜΑΤΑ

A

ACROSTICHIS.

<b>A</b> ccipe, quam tenui meditabor arundine Musa	<b>M</b> ,
<b>L</b> audant quem Musa, quem cantitat ipſus Appoll	<b>O</b>
<b>B</b> arbaries furcâ cur turpis projiciatu	<b>R</b> .
<b>E</b> t maneant tenebræ, fulgens queis obtegitur So	<b>L</b> ,
<b>R</b> erum? MORLOT nonne ſagax, qui pectore tot	<b>O</b>
<b>T</b> am tetras tenebras pellic, quò luce coruſce	<b>T</b> .
<b>V</b> ade, ſies felix, PRÆSENTI NUMINE curſ	<b>U</b> .
<b>S</b> plendida ſitque Tibi MELIOR SAPIENTIA merce	<b>S</b> .

B.  
ARISTOTELES ET CARTESIUS

*Ἀναγραμματισμοὶ δέκτες*

O VERITAS ALTE STET ! SIC RES.

*Evolutio per Tetraſtichon*

Duplicet inſipiens *Novitas*, & ſtulta *Vetustas*  
Seu *vecus est*, *verum diligo*, ſive *novum*.

Verorum ſunt, hæc quàm ſymbola ſancta *Sophorum* !

ALTE quod VERUM STET maneatque modò :

SIC RES cuncta foret felix, O ſicque beata.

SIC RES non liti, cauſaque nulla foret.

Dedecet aſt illum victricis porgere palmas,  
Qui ſpernens lucem palpitat in tenebris.

*Mæſculum fecundi ingenii partum gratulatur,  
ſimulq; ſagrantiſſima vota votis miſcet*  
Joh. Caſparus Müllerus Helv. Tigur.  
IV.

---

NOſſe Deum *φύσει*, pulchri ſunt ſemina Veri.

Aut quis contēderet cœcis in voce cavillis ?

Numinis hicce quidem ſenſus caligine tectus,

Sacrilegas linguas, aut ob contagia lapſus.

Non tamen oſſa tremant nimiùm ! Nam prodit IS Ipſe

Diſcutiens nebulas ſolidè, validèque perite ;

Scilicet Ingenuus MORLOT conamine pulchro,

Optio quo votis cunctorum perdita nulla eſt.

Quid liquet hinc ſi non Summum ſervâſſe Polarcham,

Talibus acceptis tantum graviora perendi

Præmia felici ſucceſſu digna ſequantur,

Supplice (quod dicunt) Ego flagito voce JEHOVAM.

*His breviusculis etiam  
Doctiſſimo, Literatiſſimo Domino Reſpondenti, de  
nunquam ſatis laudandis in ſtudio Philoſophico  
conatibus cordicitus gratulatur, nec non priſtini  
ejuſdem favoriſ continuationem avidiſſimè  
ſeſe præſtolari teſtatur*

Joh. Henricus Schererus, Toggio-Helv.

## V.

ET cura & labor est rerum perquirere causas.  
 Nec levis hic labor est, cura nec illa levis,  
 Sic felix rerum potuit qui noscere causas,  
 Quas tenet ALBERTUS, sanguine Melpomenes.  
 Nullus enim timidus malè, qui sibi conscius ipsi,  
 Infensos hostes audet adire suos.  
 Intrepidus tu autem ad pugnandum voce laceffis  
 Hostes, Ergò Tibi non timor ullus inest.  
 Non multis dictis jam nunc tua facta reporto  
 Laudibus *Aurorem* res canit ipsa suum.  
 Sic Sophicis studiis Tu pergito fallere tempus,  
 Tum tibi *Pierides* florida ferta dabunt.

*Doctissimo Domino Autori, Respondenti Eruditissimo  
 accinere voluit, debuit*

Franciscus Stockarus, Scaph-Helv.

## VI.

QUam clarè monstrat mentis *Morlotus* acumen?  
 Esse Deum *natura* ostendit *lumine* solo  
 Nec sterilem vanumve locat sanè Ille laborem  
 Nobilis hicce, labor! Quem tu conatibus Autor,  
 Congèsti propriis, meritò te tollit ad *Astra*.  
 Ergo tibi tantos te suscepisse Labores,  
 Gratulor ex animo grato *Morlote* coiende:  
 Der Deus, ut perftet decus omni tempore laudis;  
 Quæque tuo studiò mirandò vota mereris.

*Pauca hæc Doctissimo, & omni virtutis & eruditionis  
 laude conspicuo Domino Autori subjecit  
 congratulabunda manus*

Joh. Caspari Hurteri, Scaph. Helv.

## VII.

PRædicat egregium MORLOT mea musa Magistrum  
 Te, Te, quæ Tua sunt, dum lego, lætus amo.  
 Suavis es, & facilis, doctusque, & dignus Amore  
 Te Bernæ quævis ut puto Mula canet.

*Doctissimo Domino Agnato & Concivi, in Amicitia  
 nunquam intermoritur & τεκμήριον*

Albertus Archerus, Helv. Bern. Typoth.

